Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

nis qui faciunt sacrificium offerunt, quia et aliquid deo de actione sua immolant,
et aliquid sibimetipsis reservant. Sed sensum, linguam, vitam atque substantiam quam
perceperunt omnipotenti deo immolant. Et quid isti nisi holocaustum offerunt? Immo magis ho-
locaustum fiunt. Israheliticus populus primum in Egypto sacrificium obtulit, sed nondum
in heremo. Et itaque adhuc mentem habet in seculo, sed bonum iam aliquid operatur, deo
sacrificium obtulit in Egypto. Qui vero presens seculum deserit et agit bona que valet,
quasi iam Egypto derelicta sacrificium prebet in heremo, quia repulso strepitu
carnalium desideriorum animis sue quiete atque solitudine deo immolat
quicquid operatur. Quamvis ergo, ut iam sic dictum est, sacrificium sit etiam holocaustum, maius
tamen holocaustum sacrificio, quia mente que huius mundi dilectione non premi-
tur, totum in omnipotentis dei sacrificio incendit quod habet. Sed sciendum nobis est quia
sunt quidam qui etiam seculum relinquentes totum quidem quod habent offerunt, sed tamen in bo-
nis que agunt minime compunguntur, et bonum quod agunt holocaustum est. Sed quia fle-
re ac semetipsos diiudicare nesciunt, seque ex amore ad lacrimas non accen-
dunt, perfectum eorum holocaustum non est. Hinc enim per psalmistam dicitur: Memor sit om-
nis sacrificii tui, et holocaustum tuum pingue fiat. Holocaustum quippe siccum
est opus bonum quod orationis lacrime non infundunt. Holocaustum vero pingue
est quando hoc quod bene agitur corde humili etiam per lacrimas irrigatur. Unde
rursus dicitur: Holocausta medullata offeram tibi. Et si quis bonum opus agit, sed ex om-
nipotentis dei amore atque desiderio flere nescit, holocaustum non habet. Qui
vero bona operatur et visionem iam creatoris sui inhiat, atque ad eterne contemplationis
gaudia pervenire festinat, seque ipsum ex amore quo accenditur in fletibus mac-
tat, holocausta medullata domino dedit. Studendum ergo nobis est et mala fun-
ditus relinquere, et bona que sufficimus operari, atque in ipsis bonis que agimus
eterni luminis amore compungamur. Ipse enim nobis cordis tenebras discutit
amor lucis, ut subtiliter videre valeamus ne quando bonis que agimus prava mis-
ceantur. Considerandum quippe nobis est opus nostrum quale sit, que cogitatio in opere, que
intentio in cogitatione, et cum nostro bono opere admixtum aliquid malicie sit

Et sunt quidam qui nichil sibimetipsis reservant.

130